N. GRVCHII

RESPONSIO AD BINAS CAROLI SIGONII REPREhensiones. Vnam de binis magistratuū comitiis, Alteram de Lege curiata.





PARISIIS,
Ex officina Iacobi du Puys, è regione collegij Cameracensis, sub insigni Samaritanæ.
1565.



AMPLISSIMO VIRO HENRICO MEMMIO, SVPplicum libellorum in Regia Magiſtro, N. Gruchius S. D.



Anta eſt tua erga omnes literarum ſtudioſos beneuolētia (clariſſime Memmi) quātum ego perſpicio ex iis libris qui à doctis hominibus indies aut ſub tuo nomine, aut non ſine honorifica mentione tui

nominis,in vulgus eduntur : vt mihi nullum inter literatos locum tenere posse visus sim , nisi aliquid etiam à me profectum, sub tuo nomine appareret. Quo & meæ erga te voluntatis atque obseruantiæ significationem darem : & ingrati animi notam effugerem, si tuorum erga literarum studia meritorum magnitudinem, minus agnoscerem. Ego igitur (clarissime Memmi) meam ad reprehensiones Caroli Sigonij responsionem, ad te mitto: simúlque rogo vt tantisper à grauioribus tuis studiis ac negotiis animum relaxes, dum hunc libellum tibi perlegere liceat : vt pro ea eruditione qua in antiquitatis Romanæ obseruatione plurimũ excellis , grauissimum ac certissimum tuum iudicium in hac nostra controuersia interponas . Tanti enim

mihi erit tuum in hac re iudicium, vt cuius tu ſententiam probaueris, eam & veriſsimam eſſe, & omnibus ſequendam ſim exiſtimaturus. Vale. Ex ruſtico prædio noſtro, Cal. Iunij. 1565.





NICOLAI GRVCHII responsio ad binas Caroli Sigonij reprehensiones. Vnam de binis magistratuum comitiis, Alteram de lege curiata.



VANQVAM mihi ea nec omni ex parte probantur quæ à Carolo Sigonio de comitiis ſcripta ſunt: nec veriora iis videntur quę à me ſunt tradita: maximas tamen ei gratias meritò habendas duobus nominibus exiſtimo. Primum quòd antiquitatis Romanæ ſtudioſos, vt in reliquo omni iure Romanorum latè & ingenioſè explicando, ita in hac comitiorum ratione breuiter ac diſertè tradenda, iuuare voluit. Deinde quod ea modeſtia vſus eſt in me reprehendendo, vt cum honorifica laudis meæ præfatione, nec gloriæ nec contentionis ſtudio ductus, ſed veritatis tantùm amore, ad hãc

dissensionem verius quàm reprehensionẽ pertractus videatur. In quo cùm perpoliti humanitatis studiis ingenij specimẽ dedit: tũ verò mihi in hac mea responsione quid sequendũ esset, præscripsit. Itaq; ego non modò extra omnem contumeliam, sed etiam absque vllo asperiore dicto, si maiorem non possum, at parem certè modestiam referre contendam. Ac primùm vt quid sit in quo à me dissentit, & quibus rationibus me reprehendat, intelligatur, totum illum locum ex eius libro de Antiquo iure Romanorum huc transcribam, qui ita habet: Vt autem centuriata comitia nisi à maioribus, sic tributa & à maioribus & à minoribus magistratibus haberi licuit. Quarum rerum rationẽ siquis requirat, Nicolai Gruchij pereruditos de comitiis, commẽtarios perlegat. Cui viro vt multis in rebus assentior, sic in binorũ comitiorum ratione explicanda valde diuersus sum. Quod nõ gloriæ, quærãdæ sed antiquitatis illustrandæ causa, cuiusmodi sit, hoc loco pluribus mihi exponendum putaui. Est ergo quæstio huiusmodi. Cum trina fuerint comitia, quid sit in quod Cicero in secunda Agraria de binis

comitiis quibus magiſtratus ſinguli crearentur, ſcripſit his verbis. Maiores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt. Nam centuriata lex cenſoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magiſtratibus cum iterũ de iiſdem iudicabatur, vt eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficij ſui pœniteret. Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa, curiata tantùm auſpiciorum cauſa remanſerunt: hîc tribunus pleb. quia videbatur poteſtatem neminem iniuſſu populi aut plebis habere poſſe, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis confirmauit, tributa quæ veſtra erãt ſuſtulit. Ita cùm maiores binis comitiis voluerint vos de ſingulis magiſtratibus iudicare, hic homo popularis ne vnam quidem populo comitiorum poteſtatem reliquit. Hæc Cicero. Hunc igitur locum dico obſcuriſsimum eſſe, & quam ex eo ſententiam Nicolaus Gruchius collegit, putare me ab ipſa conſuetudine Romani moris, atque ab ipſa demùm rei veritate abhorrere. Quis autem eius ſenſus ſit, ex loci huius lectione, quam ille ex ingenio, vt video, ac nulla antiqui libri fultus

auctoritate attulit, facilè intelligi potest. Est autem hæc: Nam cēturiata lex consulibus ferebatur, & cæteris Patriciis magistratibus, tributa plebeis: tum curiata iterum de iisdem iudicabatur. Qua ex lectione apparet placere Gruchio patricios quondam magistratus binis comitiis esse creatos cēturiatis & curiatis plebeios item binis, tributis & curiatis, post autē curiatis comitiis obsoletis, magistratus omnes binis item comitiis declaratos centuriatis & tributis. Quam sentētiam si ille etiam alterius loci auctoritate firmaret, quod nec facit, nec facere potest, tamen quia eam multis interiectis ex ingenio verbis inducit: ego vix in re tāta probare possem. Neque enim simile veri videtur si singuli magistratus binis iisque diuersis fuissent comitiis declarandi, non aliquam aliquādo annalium scriptores eorum inter se contentionem literis prodituros fuisse, si aut curiata aut tributa centuriatorū sententiā infirmassent. Quamobrem ego incolumi vulgata lectione ita hunc locum interpretor. Reprehēdit Rullum tribunum pleb. Cicero qui Decemviros creari iubebat tributis comitiis, ita vt non omnes xxxv.

tribus vocarentur, sed XVIII. tantùm sorte ducerentur: deinde vt qui nouem tribubus esset designatus lege curiata, id est imperio ornaretur. Reprehendit autem acutè magis vt solet in orationibus, q̄ verè, & ꝙ tributa comitia imperfecta attulit, & quòd curiata obsoleta retulit. Id quod eò grauius esse significat, quòd cum maiores binis quondam comitiis de omnibus magistratibus voluerint iudicari, hic neutra afferat. Quæ sint autem hæc comitia bina exponit centuriata & curiata. Nam consules (sic enim cum Gruchio legendũ puto, non cẽsores) cẽturiatis comitiis creabantur quando cæteri patricii magistratus declarabantur curiatis. Deinde iterum de iisdem magistratibus iudicabatur, vt priora comitĩa reprehẽdere populus posset. Quod autem ait consules centuriatis comitiis creatos, cum ceteri patricij magistratus curietis, rectè ait. Siquidem cõstat primos consules atque inde reliquos à populo per centurias conuocato, declaratos. Cæteros autẽ patricios magistratus intelligit quæstores: quos idcirco patricios vocat, quia prius patriciis ea potestas patuit, quàm plebeis. Plutarchus enim Publicolã

cõſulem Bruti collegam Quęſtores duos populo creandos permiſiſſe, ait P. Minutium & M. Veturium quas gentes tum patricias conſtat fuiſſe. Creatos autem eſſe curiatis comitiis patet primum, quia nondum tributa inſtituta erant: deinde quia Gellius ſcribit minoribus magiſtratibus comitiis tributis magiſtratum dari, ſed iuſtius curiatis: poſtremò quia Tacitus lib. xi. prodidit quæſtores regibus imperantibus eſſe inſtitutos, ídque legem curiatam oſtẽdere à L. Bruto repetitam. Quòd autẽ ait bis iudicatum eſſe de omnibus magiſtratibus, id nõ habet eam vim vt ſignificet diuerſis comitiis eſſe iudicatum centuriatis & curiatis: ſed illud vult intelligi, qui magiſtratus cẽturiatis comitiis creati erãt, vt cõſules, de his bis centuriatis comitiis eſſe iudicatũ: qui curiatis, bis curiatis: vt qui prioribus comitiis aliquẽ creaſſent, iidem poſterioribus, ſi pœniteret mutata ſententia, abrogare eundem poſſent. Deinde addit. Nunc verò quia magiſtratus creantur, non vt olim alii centuriatis, alii curiatis, ſed alii centuriatis alii tributis: curiata oboleuerunt: Nam eapropter auſpiciorum religionem tantum remanſerunt:

Rullus autem curiata comitia quæ non populus, ſed pro populo triginta curiarũ lictores ineunt, reuocauit: tributa imperfecta attulit. Ita cum maiores binis comitiis voluerint de eadem re iudicari, Rullus ne vna quidem comitia populo reliquit, nam in vtriſque peccauit. Neque verò illam rationem perpetuò obſeruatam eſſe exiſtimandum eſt, quam apud maiores ait fuiſſe: vt iiſdem comitiis bis de eodem candidato iudicaretur, ſed effigiem tantùm ac ſimilitudinem eius retentam. Nam cum prærogatiuæ centuriæ ſuffragationé inſtituiſſent, eam pro vnis comitiis habuerunt: reliquarũ autem quæ iureuocatæ dictæ ſunt pro alteris. Sic enim celerius ſuffragia à populo iniri poſſe iudicarũt ſi eadem comitia partirentur, quam ſi eadẽ bis integra haberentur. Hoc autem intellexit & docuit Aſconius his verbis: In ſecundam Verrinam prærogatiuæ tribus ſunt, quæ primæ ſuffragium ferunt antè iure vocatas. Mos enim fuerat quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdem candidatis comitia fieri: quorũ tribus pręrogatiuæ dicebantur, quòd primę rogarẽtur quos vellẽt

consules fieri: secundæ iureuocatæ, quòd in iis sequente populo, vt sæpe contingit, prærogatiuarum voluntatem iure omnia complerentur. His enim verbis significat bina quidem comitia esse habita, sed nō integra: verum speciem tantum binorum comitiorum esse vsurpatam. In tributis enim sorte tribum, in centuriatis ex tribu sorte centuriam eduxerūt, quę primæ suffragium iniret. Quæ centuria quoniam ante alias rogabatur, prærogatiua dicta est, & tribus, vnde sumpta est: prærogatiua etiā appellata. Prærogatiuæ autem tribus vel centuriæ prærogatiuæ sententiam pro vnis comitiis habuerunt reliquarum quæ deinceps citabantur, & iureuocatæ dicebantur iudicium vt dixi, pro alteris plerūquæ autem fiebat vt iureuocatæ sentētiam prærogatiuarum sequerentur, raro autem rescinderent. Vnde illud est Ciceronis pro Murena tantam comitiis cēturiatis fuisse religionem, vt sem per omen prærogatiuæ valuerit. Hactenus Sigonius.

Hanc Caroli Sigonii reprehensionem video duobus potissimum capitibus contineri. Vno reiicit ac refutat meam de bi-

nis comitiis ſententiam. Altero ſuam ex Aſconio interpretationem confirmare nititur. Ad vtrumque caput mea ſeorſum conferetur reſponſio: primum enim noſtram tuebimur, atque amplius confirmabimus ſententiam: deinde ad eius ſententiam quæ Aſconii loco tantum niti videtur accedemus. Ego igitur bina illa comitia, de quibus ſcribit in ſecunda agraria Cicero, affirmo fuiſſe in maioribus magiſtratibus centuriata & curiata: in minoribus, tributa & curiata: neque ego id pro meo agnoſco quod mihi placere ſcribit Sigonius, curiatis comitiis obſoletis, magiſtratus omnes binis, item comitiis declatatos cẽturiatis & tributis: ſed cùm adhuc iuſta erant curiata comitia ea in vſu fuiſſe cùm cẽturiatis aut tributis exiſtimo: cum verò adumbrata illa per triginta lictores ſuperfuerunt curiata, illa ipſa dico ad centuriata etiam aut tributa acceſsiſſe. Eam verò eſſe Ciceronis illo in loco ſententiam facilè conuincam, ſi locum illum ita eſſe reſtituendum vt à me eſt reſtitutus, docuero. Ac primum conſiderãda eſt ratio cur hæc de binis comitiis verba à Cicerone ſubiecta ſunt. Perſpicuũ eſt enim qui à Rullus

vno capite suæ legis volebat præter tributa comitia, tametsi non integra, quibus decemuiri crearētur, ferri legem curiatā: propterea Ciceronem ad hanc comparationem iuris à maioribus instituti, & iniquitatis legis Seruiliæ, deuenisse. Et cum videretur Rullus sua lege morem maioré, quoad tum in vsu erat, sequi velle, in eo quòd decéuiris magistratū dabat tributis comitiis, quibus etiam curiatā legem adiungebāt, contrà Cicero id totum Rullo argutissimè detrahit, ac docet, tametsi videatur maiorum instituto id velle facere, cum tamen planè à more maiorum discedere. Quo vt perueniat morem maiorum subiicit in toto genere magistratuū, quem hîc tribunus pl. in decemuirorum magistratu obseruare præ se ferebat. Ex quo apparet, vt erāt bina comitia quæ fieri vellet in his decemuiris Rullus, tributa & curiata: ita in omnibus magistratibus bina comitia fuisse, aut centuriata & curiata, aut tributa & curiata. Iam verò si propiùs considerentur illa Ciceronis verba [iam hoc inauditū & planè nouo more, vti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis antè sit datus.] Ex iis inquam verbis facilè

erit ex contrario concludere, vsitati moris fuisse, cui antè dat⁹ fuisset magistrat⁹ veris quibusdã comitiis, ei vt lege curiata magistratus daretur. Vnde efficitur, si iusta comitia quibus magistrat⁹ daretur, erãt cẽturiata & tributa, vsitatũ fuisse vt ad illa iusta comitia accederẽt curiata. Atq; vt ad meã illius loci Ciceronis restitutionẽ veniam, eius me auctorẽ habere ipsum Ciceronẽ, confirmo: quo minus requirenda est antiquorũ librorũ auctoritas. Verba illius ita habebãt [Maiores de omnibus magistratibus bis vos sentẽtiã ferre voluerũt: nã centuriata lex cẽsoribus ferebatur cùm curiata cęteris patriciis magistratibus: tum iterũ de iisdẽ iudicabatur, vt esset reprehẽdendi potestas, si populũ beneficii sui pœniteret. Nũc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa: curiata autẽ auspiciorũ causa remãserũt: hìc tribunus pl. quia videbat potestatem neminem iniussu populi aut plebis posse habere, curiatis ea comitiis quæ vos nõ initis cõfirmauit, tributa quæ vestra erãt sustulit. Ita cùm maiores binis comitiis voluerunt vos de singulis magistratibus iudicare, hic homo popularis ne vnam quidem populo comitiorum pote-

ſtatem reliquit] Illa verba corrupta eſſe nemo dubitat: verùm ſi cùm prioribus verbis ſequentia rectè conferantur, nullo negotio pauca verba quæ deſunt, adiiciétur: & quod interturbatum erat ſuo loco reponetur. Ac primum pro illo cenſoribus legendum eſſe conſulibus, etiam mecú conſentit Sigonius. In his verò verbis [nam centuriata lex conſulibus ferebatur, cùm curiata cæteris patriciis magiſtratibus] faciendam fuiſſe métionem tributorum comitiorum, indicant verba paulo poſt ſequentia [nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa. Cùm enim Cicero in deſignádis illis binis omnium magiſtratuum comitiis, prima dicat fuiſſe céturiata & tributa, neceſſe eſt ſecunda ex iis binis fuiſſe curiata: quòd ipſe ſatis indicat cùm ſubiicit [curiata autem tantùm auſpiciorum cauſa remanſerút] Vnde efficitur in ſuperioribus illis verbis [tum iterum de iiſdem] curiatorum mentionem fuiſſe faciendam, ita vt legendum eſſet [tum curiata iterum.] Hæc enim verba ſunt quibus ſecúda comitia ex binis deſignare voluit. Illud quoque neceſſariò conſequens eſt vt in priore membro prima illa quæ Pau-

lò post nominantur comitia, suum locum habeant, non modò factam esse mentioné centuriatorum, sed etiam tributorum comitiorum. Et quoniam cẽturiata patriciis magistratibus tribuuntur, plebeis tributa esse tribuenda. Patriciis enim magistratibus plebeios opponi nemo nescit. Ex quibus sequitur sic omnino legendum esse. [Nam centuriata lex coss. ferebatur & cæteris patriciis magistratibus, tributa plebeis: tum curiata iterum de iisdem iudicabatur.] Atque ego hunc errorem ex librariorum imperitia ortum esse suspicor: qui tributam legem non posse dici existimabant: vt etiam nunc sunt qui dubitant an lex tributa tam Latinè dici possit, quàm lex centuriata aut curiata. Ego igitur meæ restitutionis rationem breuiter sic conclu do. Verba illa [nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa] ostendũt Ciceronem in Assumptione suæ argumentationis, ita bina comitia de quibus mentionem fecerat, distribuere: vt prima appellet cẽturiata & tributa: ex quo consequés est secunda esse curiata. Necesse igitur est in ꝓpositione ac ratione propositionis factã fuisse mẽtioné centuriatorũ & tributo-

rũ comitiorũ vt primorũ: curiatorũ verò comitiorũ vt secũdorũ. Apertè autẽ cẽturiata attribuit patriciis magistratibus: quibus plebeios opponi magistratus nemo dubitat: consequens igitur est vt tributa plebeis magistratibus tribuantur. Et quoniam hanc meam sententiam alterius loci auctoritate firmari postulat Sigonius, ego & me ita fecisse & facere posse contra quã ipse scribit, demõstrabo. Nã cur dissimulat locũ illũ Messalæ à me ex Gellio citatũ ex lib. xiij. cap. xiiij nullam causam video. Verba Messalæ hæc sunt. [Reliquorũ magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege.] An non locus ille satis apertè demonstrat ad minorum magistratuum tributa comitia accessisse legem curiatam, qua etiam iustius magistratus daretur quàm ipsis tributis comitiis? Cumq; adhuc erant iusta comitia curiata, ac non illa tantùm adumbrata per triginta lictores, cui dubium est quin de minoribus illis magistratibus bis iudicaret pop. Romanus? quin bina haberentur de eodem ma-

giſtratu comitia ? Quòd ſi in minoribus magiſtratibus id verum eſſe ex illo loco perſpicuum eſt,cur dubitabimus cum Cicerone ad omnes magiſtratus transferre? ac non ad eos tantùm qui tale imperium haberẽt quale iis modò magiſtratibus qui exercitum ducerent,tribuit Sigonius ? De quo tamen imperio quàm valde ab illo diſſentio in ſecunda illius reprehenſione videbimus . Quòd verò ſcribit Sigonius non eſſe veriſimile ſi ſinguli magiſtratus binis, iíſque diuerſis fuiſſent comitiis declarandi non aliquam aliquando annalium ſcriptores eorum inter ſe contentionem literis proditur os fuiſſe:ſi aut curiata aut tributa comitia centuriatorum ſententiam infirmaſſent,illa profectò ratio non modò in forma eſt, ſed etiam tam valere poteſt ad infirmandam ſuam de binis comitiis ſententiam,quàm meam.Nuſquam enim annalium ſcriptores bina cẽturiata, aut bina curiata de eodem magiſtratu habita fuiſſe ſcribunt:neque vſquam reperitur iudicium priorum cẽturiatorum à poſterioribus eſſe infirmatum : aut priorum curiatorũ ſententiam à poſterioribus eſſe abrogatã.Id ſanè mihi nó mirum videtur,

si in historia nó reperiamus,quòd vniuersus popul⁹ cẽturiatim aut tributim iudicasset,à parte populi quę curiis cõtinebatur, aliquãdo fuisse infirmatũ,pręsertim in magistratuũ creatione. Quin tamen hoc pro suo iure populus posset, ego non dubito. Ac si ius ac potestas populi quæratur,non quid aliquãdo ab eo factuũ sit,perspicuũ est vera esse Ciceronis verba, cum dicit populo reprehendendi potestatem fuisse si eum sui beneficii pœnituisset. Nec mirum videri debet Ciceronem ad populum verba habentem, ita populariter de causa curiatorum comitiorum locutum esse, vt tametsi ob alias etiam causas quam vt iterũ iudicaret populus de iis magistratibus quos designasset magistratus ornarentur lege curiata,illum tamen vsum potissimum qui populi potestatem maximè respiceret accommodatę ad suam causam, acciperet. Atque vt tandem meam de binis comitiis sententiam confirmãdi finem faciam, rursus totam Ciceronis argumentationem aduersus Rullum propius inspiciamus. Decemuiros Rullus ornabat lege curiata, hoc est præter illa per tribus septemdecim comitia tributa, volebat de

eorum

eorum imperio, quòd prætoriũ esse volebat Rullus, ferri legẽ curiatam. In eo Cicero docere vult tribunumpl. qui tantopere popularis hominis nomen aucupetur, tantum abesse ab eo vt popularis sit, vt quod ius à maioribus in magistratuũ creatione constitutũ erat, in quo populi potestas maximè constaret, hic tribunus pl. de eo iure nihil in his suis decẽuiris reliquerit. Nam maiores bis de eodẽ magistratu iudicãdi potestatem populo faciebant, hic ne semel quidem iudicandi de decemuiris populo dat potestatem. Quæ enim tributa comitia de his haberi vult, ea pro nullis habenda sunt: quandoquidem maior pars populi suffragio priuatur: quæ adiũgit curiata, ea iamdudum in vsu esse desierũt, nec populus iis comitiis suffragium fert sed triginta tantùm lictores, nulla igitur Rullus sua lege populo relinquit comitia. Quod quid aliud est quàm populum iure suo priuare? Cùm ergo ea lex sit Rulli, qua optimo suo iure populus priuetur, necesse est & legem & ipsum latorem legis nullo modo populares esse. Hanc argumentationem quis non videt ideò aduersus Rullum valere, quia cum vetustate obso-

leuissent curiata comitia, tributa quæ popolo in vsu erant, sua lege manca & mutila populo dabat Rullus? Quod si integra reliquisset Rullus tributa comitia, & adhuc in vsu fuissent curiata, planè in decemuiris creandis morem maiorum secutus fuisset: nec vllus fuisset locus huic Ciceronis argumento. Vnde efficitur eum fuisse morem maiorum quem dixi, vt scilicet ad iusta comitia centuriata aut tributa in omnium magistratuum creatione adiungerent curiata: olim quidem, & ad multam vsque ætatem per triginta curias: posterioribus verò temporibus, per triginta lictores: ídque adeò quod posterioribus temporibus de lege curiata tantùm propter auspicia dicis causa retentum erat, olim iustis comitiis peragi solitum fuisse. Concludatur ergo primum caput hac firmissima, opinor, ratione. Nihil obsoleuisse rectè dici potest quod non aliquando in vsu fuerit. Atqui vt de magistratibus lex curiata iustis comitiis ferretur, id obsoleuisse dicit Cicero, & tantùm ad vsurpationem vetustatis auspiciorum causa retentum esse: cùm interim adhuc retinerentur prima illa comitia centuriata

& tributa, prima inquã ex iis binis quibus de singulis magistratib⁹ apud maiores po pulus iudicabat. Necesse igitur est vt id aliquãdo in vsu fuerit in magistratuũ creatione. Et si postremis temporibus obsoleuisse dicatur, prioribus tẽporib⁹ adeóq; apud maiores in vsu fuisse necessariò fatẽdum est. Nunc venio ad alterũ caput: in quo demonstrare conabor nec veram esse Sigonij de binis comitiis sententiam, nec loco Ciceronis accommodatam: nec illo quem citat Asconij loco vlla ex parte iuuari. Quod scribit Cicero maiores vo luisse vt de omnibus magistratibus binis comitiis popul⁹ iudicaret, id Sigonius ita interpretatur, vt velit qui magistratus cen turiatis comitiis creabantur, bis centuriatis: qui curiatis, bis curiatis creatos esse. Qua interpretatione cogitur morem illũ maiorum ad illa modo Reipu. tempora referre, quibus consules tantùm & questo res Rome creabantur; nec vlli alii prætere a magistratus. Itaque cũ ait Cicero [nam centuriata lex consulibus ferebatur cum curiata, cæteris patriciis magistratibus] illud cæteris patriciis magistratibus, de quæstoribus interpretatur. Quæ interpre-

tatio vt vera esse posit necesse est huic maiorum instituto ad id vsque tempus locum fuisse quo ex patriciis tãtum & coss. & quæstores fiebant. Hîc ego doctorum omnium iudicium appello, an verisimile sit Ciceronem ita locuturum [maiores de omnibus magistratibus bis vos sentẽtiam ferre voluerunt] si ad duos tantùm magistratus consules & quæstores id pertinuisset: at quam sit accommodatum hoc genus loquendi [cum curiata cæteris patriciis magistratibus] cùm vnus tantùm magistratus esset præter consules, qui patricius esset. Nam quomodo conuenit cæteros patricios magistratus dicere, cùm vnus modò sit magistratus reliquus de quo loquaris? Deinde verò sua interpretatione Sigonius hanc moram maiorem ad id vsque tempus locum habuisse significat, quo prærogatiuę suffragiũ pro vnis comitiis subrogatum est: idémque paulò pòst hunc locum, quem modò transcripsi, dicit: tum demùm hanc prærogatiuam institutam esse quando expletæ sunt xxxv. tribus. Atqui ex historia constat xxxv. tribuum numerum non fuisse expletum ante finem primi belli punici. Oportebat

ergo vt prima nouissimis aptè conuenirent, sic locum Cicèronis interpretari, vt quod de binis comitiis magistratuũ dicit, omnibus cõueniret magistratibus qui Romæ erãt, vsq; ad illud tẽp⁹ quod dixi, post finẽ primi belli punici fuisse. At Sigonius non negabit multo tẽpore ante primũ bellum punicũ, omnes magistratus, quiquidẽ populi ac non plebis tantũ essent, promiscuè ex patribus & plebe creatos fuisse: ac præter consules & quæstores multos alios fuisse magistratus. Quomodo ergo aptè mos ille maiorũ, de quo loquitur Cicero, verbo coarctabitur ad patricios, tã paucos magistratus, cùm re vera conueniat omnibus qui tũ erãt magistratib⁹, qui æquè ex plebe creabãtur, atq; ex patrib⁹. Cùm enim auctore Sigonio verũ sit magistratus, qui comitiis cẽturiatis fiebant, binis cẽturiatis fuisse creatos, ad illũ vsq; tẽpus dũ prærogatiua pro vnis comitiis substituta est: hęc verò prærogatiuæ suffragatio non ante quingentesimum ab vrbe condita annum eodem ipso auctore instituta sit: quid caussæ est cur Cicero de hoc maiorum instituto loquens, id quod in prætoribus & censoribus, & omnibus consulibus, tam

patriciis quàm plebeis verum fuit, ad consules tantùm atque eos patricios, traduxerit? Et quod ad quingentesimum & eo amplius annum vrb. Con. L. vsitatum fuit, id non vsque ad quadringẽtesimũ retulerit? Cõstat enim ex historia ante quadringentesimum annum vrbis conditæ, consules etiam ex plebe factos, cũ multò antè tempore Tribuni militares consulari potestate promiscuè ex plebe & patribus facti essent. Quod si illa absurda videantur, nec aliunde tamen efficiantur, quàm ex illa Sigonij interpretatione, reliquum est vt minimè accommodatã ad Ciceronis sententiam eius interpretationem dicamus. Iam verò cùm non posit Sigonius hanc prærogatiuæ pro vnis comitiis substitutioné, transferre ad illos magistratus quos vult comitiis curiatis creatos, vellem pro binis comitiis curiatis, quid postea subrogatum sit docuisset. An vult tandiù fuisse bina curiata minorum magistratuum comitia, quãdiù fuerunt bina centuriata maiorum magistratuũ? Atqui id falsum est. Nam multò antè quàm prærogatiuam institutam fuisse dicit, minores magistratus tributis comitiis creabantur. Id quod ego

doceo ex ædilitate Cn. Flauii. Ædilem enim tributim factum esse historia testatur, vt à me in secundo de comitiis apertè ostensum est. Atqui multò antè tempore quàm expletæ essent xxxv. tribus Ædilis fuit Cn. Flauius. Quod si tũ tẽporis ædiles curules tributis comitiis creabantur, cui dubiũ est quin & quæstores & reliqui minores magistratus iisdẽ comitiis crearentur? Hoc ergo constitutũ sit, multo tẽpore antequã expletæ essent xxxv. tribus minores magistratus tributis comitiis creari solitos. An dicet bina curiata in solis quæstoribus in vsu fuisse? atq; id tandiù, quandiù ex patriciis tãtùm creabãtur: postea tributis creatos fuisse? Quid verò mos ille maiorũ? itá ne repẽtè abrogatus est, vt pro binis comitiis curiatis nihil substitum sit? Nam prærogatiuæ suffragatio in tributis comitiis locũ nõ habuit, nec iureuocatæ in his comitiis tribus intelligi possunt: quandoquidẽ semper vno modo habita sunt tributa comitia: nẽpè vt sorte omnes tribus educerentur: nec vllæ vnquam tribus pro suo iure priùs vocandæ fuerũt quàm aliæ: quod fuit in centuriis faciendum pro iure ordinis, census, atque ætatis. Ergo qui bi-

nis comitiis curiatis creabãtur quæstores, postquam admissum est vt non minus ex plebe quàm ex patribus fierent, repentè vnis comitiis tributis creari ceperunt? An non hoc est animi causa fingere? Quid (si Cornelio tacito credamus) quæstores quidem iam inde ab regibus fuisse, sed eos populi suffragio non fuisse creatos nisi sexagesimotertio anno post Reges exactos? qui annus incidit in annum vrbis cond. cccvii. Coss. Sp. Herminio & T. Virginio, vt quod de quæstoribus scribit Plutarchus sic interpretemur, quasi velit Publicolam legẽ tulisse, qua ij qui erant quęstores, iam antè à Bruto consule nominati, ærario præferrentur. Cõstat enim ex Tacito Brutum legem curiatam retulisse de quæstoribus, hoc est legem curiatis comitiis tulisse, non qua populus quæstores crearet, alioqui Tacitus sibi ipse contradiceret, sed qua consulibus permittebatur quæstores designare, perinde vt antè regibus licebat. Quæstores verò, quos primos dicit Tacitus, populi suffragio fuisse factos, tributis comitiis, declaratos ego suspicor: ita tamen, vt auspiciorum causa lex curiata post de eorum magistratu lata sit,
quemadmodum

quemadmodum in minoribus magistrati bus vsitatum fuisse scribit apud Gellium Messala. Cur verò illud ita esse existimem eò adducor, quòd iamdudum in vsu esse ceperant tributa comitia, non modò in legibus, sed etiam in plebeis magistratibus, post perlatā Voleronis legem. At si vera est Taciti historia, quis locus restabit interpretationi Sigonij? Sin eorum potius sequamur opinionem, qui iam inde à regibus volunt populi suffragio creatos quæstores dicat mihi Sigonius? quid causæ est cur illud de binis comitiis curiatis ad solos quæstores transferat? quando ex historia constat alios multos magistratus, tametsi extraordinarios, creatos fuisse toto illo tempore, dum quæstores ex patriciis fiebant. Nam populi suffragio reperimus creatos Duumuiros dicandis sacris ædibus, Triumuiros coloniæ deducendę, præfectos animæ, Quæstores parricidii. Quid? quæstoréſne binis, hi omnes singu lis curiatis creabantur? At si probabilius videtur Sigonio omnes binis, cur ad solos quæstores sua interpretatione id reuocat? Illud etiam rogo, cùm perspicuum sit vsq; ad legem Voleronis perlatam tribunos

ædiléſque plebis curiatis comitiis fuiſſe creatos, rogo inquã nũquid binis tã proba bile eſt creatos fuiſſe, quàm quęſtores? Cur ergo ſua interpretatione ad patricios coarctabat, quod pariter verum fuit in plebeis? Iam verò ſua interpretatione Sigonius in binis comitiis nullum locũ relinquit tributis comitiis, ſed tantùm mentionem facit centuriatorum & curiatorum: cùm tamen Ciceronis contextus planè in binis illis quæ dixerat comitiis tributa numeret. Nam quid aliud ſibi volunt hæc verba, nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa, quàm vt ſignificent ex binis comitiis quæ more maiorum habebantur de ſingulis magiſtratibus, prima fuiſſe centuriata & tributa, quæ etiam tũ perinde vt apud maiores in vſu eſſent? Non eſt igitur verbis Ciceronis accommodata illa interpretatio, qua tributa magiſtratuum comitia excluduntur. Verùm vt magis ac magis vrgeã, ac propiùs cum Sigonio congrediar, illa ipſa tempora ad quæ nos reuocat conſideremus, ac videamus verúmne ſit primis illis Reip. temporibus binis comitiis centuriatis Coſſ. creatos fuiſſe. Nos ex Ciceronis verbis docui-

mus vsitatum fuisse, vt magistratus lege curiata daretur ei cui aliis veris iustísque comitiis datus erat. Ex quo consequebatur, de quo magistratu lex centuriata latá erat vsitati moris fuisse, de eo vt lex etiam curiata ferretur. At si quando lex curiata iustis comitiis lata est, primis temporibus maximè id vsitatum fuisse Sigonius fateatur necesse est. Primis ergo illis temporibus de consulibus lex curiata iustis comitiis ferebatur. Atqui Sigonio auctore cẽturiata lex bis de iisdem ferebatur. Non igitur binis modò comitiis de consulibus, vt ait Cicero, sed ternis iudicabant maiores. Quia enim imperij cósularis pręcipua pars in belli gerendi potestate consistebat, adeò vt consules creare idem propè esset quod imperatores creare: auctore autem Cicerone, consuli si legem curiatam non haberet, attingere rem militarẽ non licebat, necessariò efficitur omnibus tum consulibus legem curiatam ferri necessarium fuisse: primis ergo illis temporibus cùm erant iusta populi per xxx. curias comitia, lex curiata ita de imperio consulum ferebatur, vt nisi negare velimus libera fuisse populi suffragia, potestas populo

esset, iubendi quod vellet de consulum imperio: atque adeo (quemadmodum Cicero dicit) reprehendēdi quod iā decreuerat, si populum beneficij sui pœniteret. Semel igitur de consulibus à populo iudicabatur curiatis comitiis: quibus si cum Sigonio adiungamus bina centuriata, relinquitur vt non bis tantùm (quemadmodum ait Cicero) sed ter iudicaret populus more maiorum de consulibus. Venio iam ad locū Asconij, quem citat Sigonius ex commentario in secundam Verrinam. Eum locum video variè legi. Nam in quibusdam codicibus legitur eo modo quo legit Sigonius [bina omnino de iisdem candidatis] in aliis [bina denuò de iisdem] in aliis atque adeo in veteribus vt testatur Hotomanus [bina domo] in aliis meo quidē iudicio optimè [bina quodā modo de iisdem] ita vt totus locus sic legatur [prærogatiuæ tribus sunt quæ primæ suffragium ferunt antè iure vocatas. Mos enim fuerat quo faciliùs in comitiis concordia populi firmaretur, bina quodammodo de iisdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primæ prærogatiuæ dicebantur, quòd primæ ro-

garentur quos vellent coss. fieri: secundæ iureuocatæ, quòd in iis sequente populo, vt sæpe contingit, prærogatiuarum voluntatem iure omnia complerentur] Ex his Asconij verbis colligit Sigonius, prærogatiuæ sentẽtiam pro vnis comitiis habitam fuisse: reliquarũ quæ iureuocatæ dicebantur iudicium pro alteris: atq; ita bina quodam modo fuisse comitia de singulis candidatis qui comitiis centuriatis magistratũ accipiebant. In quibus habet me quoque adstipulatorem. Verùm hactenus tantùm. Nam quòd adiungit hæc verba ad id pertinere, quod Cicero in secunda agraria scribit de binis comitiis: quódque ante institutam prærogatiuæ suffragationem integra dicit fuisse bina centuriata, atque id ex hoc Asconij loco se posse colligere existimat, in iis verò omnibus longè ab illo dissentio: eáque ex Asconij aut verbis, aut sententia rectè induci posse, pernego. Primũ enim scimus Asconiũ Neronis ætate scripsisse, quo tempore nulla fiebant populi comitia, desierantque fieri iam inde à principio imperij Tiberij, Itaq; cùm ad filios scribat omnis rationis comiciorum ignaros, quid mirum est si vt de re iam longè

ab eorum notitia remota, ita de prærogatiuis & iureuocatis tribubus scribat? Cùm ergo dicit morem olim fuisse vt bina quodam modo comitia de singulis candidatis fierent, non est id ad vetustiorem morem referendum, quàm ad eum qui obseruabatur toto illo tempore ex quo prærogatiuæ tribus & iureuocatæ esse ceperunt. Quoniam enim maiorum instituto prærogatiua iustorum comitiorum omen erat eò respiciens Asconius rectè dicit prærogatiuæ sententiam pro vnis comitiis quodã modo. Verùm vt non potest ex eo quod dicitur prerogatiua omen fuisse iustorum comitiorum, rectè colligi ante institutam prærogatiuam fuisse pro illa iusta quædã comitia, ita nec ex Asconij verbis id concludi potest. Nam quòd de populi cõcordia in comitiis firmanda scribit Asconius, id nõ eò pertinet, vt significet ne populus ægrè ferret tolli, altera ex duobus comitiis quibus de magistratibus iudicare antè solitus erat, ideo prærogatiuæ suffragationẽ institutam: sed potius cõtra ipsa vt scripta sunt verba significant, cum antè nõ essent bina comitia, ad firmandam populi concordiam, factum esse vt quodam modo

bina essent. Et certè (vt meam de hac re obiter sententiam aperiam) quod de firmāda populi concordia scribit Asconius, id ego sic esse accipiendum existimo. Non dubium est quandiu Seruij Regis instituto habita sunt centuriata comitia, quin tota vis comitiorum esset penes primores, hoc est penes eos qui maximi sensus erāt. Idque adeò verum fuit, vt quoniam equitum ac primę classis centuriæ numero plures erant q̃ reliquarum classiū omnes cētu rię, vix vnquā requireretur in dicēdis suffragiis reliquæ multitudinis populi quæ illis classibus continebatur sentētia. Cùm ergo mutatū est Seruij institutum, quod Liui⁹ lib. pr. docet factū esse post expletas xxxv. tribus: cúmque duplicatus est numerus centuriarum à Seruio institutus, perspicuum est tum multo magis vim omnē suffragiorum illa centuriarum duplicatione in primores inclinasse. Vnde efficiebatur vt reliqua multitudo vix in partem veniret suffragiorum. Quod perquā graue ac molestum plebi futurum haud dubiè erat, nisi huic incommodo prudenter subuentum esset. Id verò sortitione prerogatiuę effectum est. Nam ex omni populo

ſorte deligebatur vna centuria, quæ prima ſuffragiũ diceret: nec iã equites primi pro ſuo antiquo iure ſentẽtiam dicebant, niſi ita ſors tuliſſet, ſed æquè in infimæ claſsis cẽturias id cadere poterat. Quocirca rectè Aſconius dicit prærogatiuæ inſtitutione firmatam fuiſſe populi concordiam. Et ſanè cùm in populi ſuffragiis inſtituta eſt prærogatiua, tùm noua quædam comitiorum forma inducta eſt, ac nouũ prope modum genus comitiorum in remp. inuectũ. Quòd enim omnes tribus primùm in ſortem coniiciebantur, deinde omnes eiuſdẽ tribus centurię, vt nullo habito delectu cẽſus aut ætatis ea prima rogaretur, quæ prima exierat: hæc inquam omnia noua fuerunt, & in comitiis centuriatis non antè vſitata. Quãdoquidem ſine vlla ſortitione ſemper vocarentur primæ pro ſuo iure equitum centuriæ, deinde primæ claſsis ſeniorum prius, pòſt iuniorum centuriæ. Quare non immeritò dicit Aſconius cùm prærogatiua inſtituta eſt bina quodammodo fuiſſe facta comitia de iiſdem candidatis: Quòd ſi propter prærogatiuæ ſuffragationem in rempubl. inuectam, bina quodammodo de ſingulis candidatis comitiæ

mitiæ fuerunt: idque est quod verba Asconij significant, omnes profectò qui rectè conijcient non id colligent ex Asconij loco quod Sigonius colligit, ante prærogatiuæ suffragationem fuisse bina centuriata comitia integra: sed contrà potius, cùm antè non fuissent bina de iisdem candidatis comitia centuriata, prærogatiuæ institutione factum esse vt quodam modo bina essent. idque ad firmandam (vt Asco. ait) populi concordiam. Postremò cùm prærogatiuæ suffragatio nó minus ad legum ac iudiciorũ cẽturiata comitia pertineret, quàm ad magistratuũ comitia: rectúmne videri potest quod Sigonius hanc prærogatiuę sentẽtiam pro vnis comitiis quæ de magistratibus habebãtur, substitutam fuisse affirmat? Neque enim putare eum existimo bina etiam centuriata legibus ferendis ante institutam prærogatiuam, fuisse habita. At si ad omnia pariter centuriata comitia pertinuit prærogatiua, cur in vno genere comiciorum pro vnis comitiis dicetur substituta, in alio genere minimè? Et quomodo Ciceronis loco interpretando, in quo de binis magistratuum comitiis loquitur, propriè conuenire di-

cetur? Si ergo loco illo Asconij magis refutatur Sigonij de binis comitiis sentētia, quàm confirmatur: si nullo historiæ testimonio nititur: si nullo modo ad verba Ciceronis est accommodata: mea contrà & historię testimoniis, & veterum scriptorum auctoritate confirmatur: & aptè illi Ciceronis loco de quo agitur conuenit, meæ potius quàm Sigonij standū esse sententiæ omnes opinor docti iudicabunt.

Ad secundam Sigonij reprehensionem priusquam veniam, totum illud caput de imperiis mihi ex eius libro huc transcribendum esse videtur vt melius appareat, quibus in rebus mihi cum illo conuenit, & quibus ab illo dissentio. [Nunc dicendum est de imperiis. Est enim hoc ex propositis honorum generibus, tertium. Imperium autem non iam maiorem quandam prehendendi & coercendi potestatem, sed exercitum habendi, & belli gerendi facultatem appello, quomodo intellexit in Antonium Cicero, cùm dixit. Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari non potest. Quod imperium quantum ab illo differat, inde intelligi potest, quòd imperium illud in

vrbe, hoc nisi extra vrbem non habetur, nisi fortè senatusconsulto summo illo de quo dixi, muniti fuerint consules, vt prouideant ne quid respublica detrimenti accipiat. Et magistratus quidem qui illud habet nullo alio honoris titulo nisi qui magistratus nomine continetur, ornatus est: hoc qui adeptus est, idem imperatoris nomen vsurpat. Et illud quidem cum magistratu, & cum fascibus ipsis mandatur (est enim ius magistratus) hoc alia ratione atque aliis comitiis quàm ipse magistratus defertur. Mandatur autem aut magistratibus, aut priuatis: illis ordine, vt prætoribus, consulibus & dictatoribus: his extra ordinem, vt qui consulatu aut prætura abierint, aut alio modo priuati fuerint. Est autem operæprecium intelligere, quemadmodum cùm consulatus & prætura centuriatis comitiis, dictatura verò consulis appellatione deferatur, ipsorum tamen imperium curiata lege, non centuriata firmetur. Hoc docet Liuius, qui libro quinto dixit comitia curiata rem militarem continere: Et Cicero, qui in secunda agraria. Consuli si legem curiatam non haberet, rem mili-

tarem attingere non licere. Item consulibus legem curiatam ferentibus à tribunis pl. sæpe intercessum esse. Et iterum Liuius libro nono, qui scriptum reliquit dictatori Papyrio legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidisse, quòd Faucia curia principium fuerit. Ex quo suspicari facilè possumus, idem in prætoribus etiam euenisse. An verò hoc perpetuum in consulibus fuerit, vt imperium habere, id est bellum gerere, nisi lata lege curiata, nequiuerint, meritò reuocari in quæstionem posit. Primùm enim illud mouet admirationem, quòd ex infinita prope consulum multitudine, quos ad bella quotannis missos produnt historiæ, neminem præcipua hac curiata de imperio lege, ornatum videmus. Deinde extant verba Ciceronis, ex quibus apparet legem curiatam consulis rebus aptam fuisse, necessariam non fuisse. Sunt autem in epistola ad Létulum. Appius cos. dictitat sese si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega prouinciam, si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non

esse. Se quoniam ex S.C. prouinciam haberet, lege cornelia imperium habiturum quoad in vrbem introisset. Sunt qui putent te non posse decedere quòd sine lege curiata tibi succedatur. Et libr. tert. ad fratrem. Appius sine lege curiata confirmat se Létulo nostro successurum. Et lib. quarto ad Att. Appius sine lege, suo sumptu, in Ciliciam cogitat. Quibus verbis significat consuli fuisse vtilem legem curiatam, verùm non necessariam. Nam etiam sine ea imperium obtinuisse. Probè. Nam ante legem quidem Corneliam qui prouinciam habebat, si vltra annum eam obtinuisset, prorogatione imperij eguit: lege autem Cornelia donec in vrbem reuersus esset, imperiũ (vt ille innuit) tenuit. Præterea verò qui legem curiatam non habebat, iis ne senatus quidem consultò eo ornatus fuit, quo sumptus de publico suppeditabatur: qui autem habebat, viaticum à senatu obtinuit. Quocirca legem curiatam vtilem quidem appellauit, quia sine ea viaticum obtineri non poterat: non necessariam verò, quia sine ea habet in prouincia, imperium poterat. Age verò, magistratus sine lege curiata

imperium habuerunt: num verò priuati eam desiderarunt? multò (vt mea fert opinio minus). Hoc cùm multa confirmant, tum maximè verba Ciceronis in secunda agraria, cùm ait, inauditum & planè nouo more esse vti curiata lege magistratus detur, cui nullis antè comitiis sit datus: id est, vt imperium priuata lege curiata tribuatur. At qua lege priuati imperium à populo acceperunt? nempe tributa. Vt de continuando P. Scipioni imperio Liuius, Consules iussi cum tribunis pleb. agere, vt si iis videretur, populum rogarent quem vellent in Africa bellum gerere. Omnes tribus pop. Scipionem iusserunt. Et de Lentulo ac Stertinio, plebs Cornelio Lentulo, & L. Stertinio procos. imperium esse in Hispania iussit. Sic Cn. Pompeio magno contra piratas lege Gabinia: aduersus Mithriditatem lege Manilia. Animaduerto etiam imperium priuato sæpe S.C. mandatum. Vt Cn. Pompeio Procos. aduersus Sertoriũ in Hispaniã: Cn. Pisoni auctore Salustio Proprӕt. in eadem. C. Octauiano propræt. ex sentẽtia Ciceronis aduersus M. Antonium Mutinam coloniam oppugnantem. Qui au-

tem à senatu imperium accepissent, eos nomen imperij tantùm, sine vllo viatici subsidio assecutos, nescio an ex Pompei epistola coniici possit, quàm ad Senatum ex Hispania Proco. misit, & stipendium petiit: quæ est apud Salustium. Equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quàm consilio profectum: qui nomine modo imperij à vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paraui. Cur autem priuati lege curiata imperium accipere non potuerunt, credo quia curiata comitia auspicata erant: Proconsules autem & Proprætores, vtpote qui teste Cicerone, priuati & sine magistratu essent, auspicia non habebant: tributis autem comitiis rectè accipiebant, quæ erant vt dixi inauspicata. Nam P. Scipionis quem priuatum cunctis centuriis cum imperio in Hispaniam missum esse inquit Liuius, nouum planè ac singulare exemplum est.

Atque hæc quidem mea de imperio sententia est. Neque enim satis probare possum eruditi hominis in primis ac diserti Nicolai Gruchij opinionem, qui his duntaxat quas proposui auctoritatibus fretus, neminem omnino censet sine curiata lege

imperium habuisse: cùm tamen iisdem testimoniis priuatos homines tributa lege imperium accepisse facilè reuincatur. Neque verò in eo etiam illi assentior, quòd ait legem curiatam bis esse latam: primùm magistratus mandandi causa, deinde imperij transmittendi. Quòd quoniam vnius Ciceronis ex secunda in Rullum testimonio nisus affirmat, an is fuerit in ea re Ciceronis sensus, paulò diligentiùs, quod etiam suprà, cùm de suffragiis ageremus, fecimus, exquiramus. Sic loquitur Cicero. Primùm lege curiata decemuiros ornat. Iam hoc inauditum, & planè nouo more vti curiata lege magistratus detur cui nullis comitiis antè sit datus. Dico igitur Ciceronem (vt sæpe aliàs solet) captiosè agere, atque argutè: aliámque quàm quę erat Rulli sentétiã demóstrare. Rullus enim decemuiros agrarios legi comitiis tributis volebat, curiatis autem imperio decorari. Sed quoniam non omnes tribus ille aduocari iubebat, propterea ea comitia pro nullis esse habenda existimat: ac reprehédit quòd nouo more imperium detur lege curiata ei cui magistratus nullis antè comitiis datus sit. Inde alteram

captio-

captionem adfert, perindè enim verba legis Seruiliæ accipit, quasi Rullus magistratum decemuiris binis comitiis mandari iuberet tributis & curiatis, nó autem magistratum tributis mandaret, imperium curiatis & vitio dat, quod tributa comitia imperfecta afferat, curiata obsoleta referat. Idque eo indignius esse ostendit, quòd cùm apud maiores bina essent comitia cẽturiata, quibus consules, & curiata, quibus reliqui magistratus, eáque bis haberentur, vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret: hîc tamen comitia bina adhibuerit ille quidẽ, sed aut manca, aut absoleta. Ex quo intelligi potest Ciceronem aptius ad causæ quã ad veritatis rationem ita disputasse: ídque eum cùm apud imperitam multitudinem ageret facile efficere potuisse.] Summa nostræ controuersiæ est de lege curiata, quæ magistratibus ferebatur. Ego eam ad omnes magistratus qui populi ac non plebis modò essent, pertinuisse assero. Sigonius ad paucos atque adeò ad eos modò, qui rei bellicæ imperiũ habuerint, pertinuisse existimat. Ac ne iis quidem magistratibus quibus militare imperiũ erat, necessariam

posse auspicato haberi, nisi Romæ. Quæ causa est vt tametsi iam tum frequens vsus esset tribunorum comitiorum, eorum tamen nullam faciat mentionem: quia scilicet non ab omnibus comitiis argumentum duceret, sed ab iis modò quæ auspicata essent. Illud etiã ex eo loco intelligi potest, Camillum quo magis populum commoueret, comitiorum centuriatorum & curiatorũ vsum illo tempore, & frequentem, & maximè necessarium populo proposuisse, cùm dicit curiata comitia rem militarem continere comitiis centuriatis coss. tribunósque militares, creari. Attamen si quis ex eo colligere vellet nullum alium horũ comitiorum vsum tum fuisse, conclusionem & falsam & ineptam faceret. Certũ est enim vt tum temporis multę leges ferebantur centuriatis comitiis, ita curiatis comitiis tum in arrogationibus, tũ in Maximi Curionis, ac Flaminum creatione, populum vsum fuisse. Vnde efficitur alios etiam vsus tum fuisse horum comitiorum, quàm hi quorum meminit Camillus. Illud quidem certè verum est quod dicit Camillus curiata comitia rem militarem cótinuisse: hoc est, magistratibus om-

nibus qui rem militaré attingerét, adeò necessaria fuisse curiata comitia, vt nó possét nisi lege curiata de eorum imperio perlata rem militarem attingere. Ex quo apparet quàm necessaria erat Reip. administratio rei militaris, tam fuisse necessarium vsum curiatorum comitiorum. Idq́ue quod de lege curiata dixi adeò verum fuit, vt non modò cósulibus, tribunis, aut militaribus, quos solos maiores magistratus adhuc populus creauerat, curiatis illis comitiis opus fuerit, sed etiã dictatori qui absque populi suffragio fiebat. Ex quo perspicuum est vsum curiatorum comitiorum latius patuisse, quàm centuriatorum: si quidem curiata de omnibus magistratibus qui tùm temporis ad bella gerenda mittebãtur, haberi oportebat, non de omnibus centuriata. Quod autem de dictatore dixi, ex illo etiam Liuii loco doceri potest qui scribitur lib. ix. pr. decad. vbi de L. Papyrio dictatore ita loquitur [Atque ij legé curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit: quod Faucia curia principium fuit, duabus insignis cladibus, captæ vrbis, & caudinę pacis: quod vtroque anno eiusdem fuerat principium. Macer Lici-

nius tertia etiam clade quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam facit. Dictator postero die auspiciis repetitis legē pertulit] Quem locum si diligentiùs perpendere velimus, non modò id perspiciemus verum esse quod de dictatore dixi, sed etiam vsitatū fuisse vt de imperio consulum aut tribunorum militarium consulari potest. qui ad illam vsque ætatem creati erant, singulis annis lex curiata ferretur, nam quo anno vrbs capta est, tribuni militum consulari potestate erant tres Fabii Q. N. & Cæsos, P. Sulpitius, Q. Seruilius Fidenas. iiii. P. Seruilius Malaginensis. Cùm facta est pax caudina, consules erant T. Veturius & Sp. Posthumius. Et cùm cæsi sunt ad Cremeram, Fabij coss. etiam erant qui summum imperium habebant. Ex hoc igitur loco apparet & de illorum tribunorum milit. & de horum consulum imperio latam fuisse legem curiatam in qua Faucia curia fuit principium. Cum verò Liuius ita loquitur [quod vtroque eiusdem fuerat principium] nónne significat vsitatum fuisse, vt singulorum annorum consulibus aut tribunis lex curiata ferretur in qua non Faucia, sed aliqua alia

melioris ominis curia principium esset? Quo magis miror Sigonium diligentissimum historiæ Romanæ obseruatorem, scribere,[ex infinita consulum multitudine quos ad bella quotannis missos produnt historiæ,neminem præcipua hac curiata de imperio lege ornatum videri.]Est & alius locus Ciceronis in secunda agraria,qui ita scribitur:[Consuli si legem curiatam non habet attingere rem militarem,non licet hic qui vetat intercedi potestatem, etiam si intercessum sit, tamen eandem constituit,quàm si lata esset lex.] Hunc locũ ego sic interpretor. Irridẽdus est Rullus,inquit Cicero, in eo quòd suis vult decemuiris licere quod ne cõsulibus quidem licet. Vt sit argumentum à maiori ad minus,quod ita tractari posit. Consularis imperij pars potissima est in rei militaris,quàm pro iure sui magistratus habet potestate : attamen consulibus non licet absque lege curiata rem militarem attingere:atque adeò non licet ea quam habent potestate,absq;lege curiata:vt multò ergo minus id licere debet decemuiris agrariis, vt sua quanta à Rullo datur potestate, vti possint. Ex iis ergo locis quid posit elici,

quo nostra controuersia dirimatur, videamus. Consuli (inquit Cicero) non licet ré militarem attingere absque lege curiata. Hoc verò si consuli non licet, multò minus prætori licet, in quo etiam mecum Sigonius consentit. Atqui hoc ipsum licere rem militaré attingere, est imperium obtinere: quod etiam cócedit Sigonius. Nulli ergo consuli aut prætori licuit militare imperiú obtinere absque lege curiata. Adde nunc & primum illum Liuij locú, comitia curiata rem militarem continent. Quid est Sigoni comitia curiata ré militarem cótinere aliud, quàm sine lege curiatis comitiis perlata, nemini licuisse rem militarem attingere? An non illis verbis Camillus necessarium vsum comitiorum curiatorum populo subiecit? Quod si comitia curiata ad rem militarem necessaria fuisse locus ille conuincit: illa verò necessitas non possit in alia re intelligi, quàm vt de lege curiata intelligatur, quæ magistratibus militare imperium habentibus, ferebatur. Illud profectò necessariò fatendum est quod à me libro tertio de comitiis dictum est omnibus magistratibus, qui cum imperio in prouincias mittebantur, neces-

sariam fuisse (vt nihil per vim, aut præter leges fieret) legem curiatam. Quod verò Sigonius de Appio consule ex Cicerone profert, meam magis confirmat sententiã q̃ suã: fatebatur enim Appius lege curiata sibi opus fuisse, hoc est, vt iure ac more maiorum imperium obtineret, eguisse lege curiata cur enim tantopere contendisset vt sibi curiatam legem ferre liceret. At peruersè & malignè interpretando legem corneliam, non esse omnino necessariam sibi legem curiatam dicebat: lex enim cornelia non de obtinendo, sed de prorogando imperio erat. At Appius ita in rem suã interpretabatur, quasi liceret ei imperium habere per legem corneliã, etiam non obseruatis iis quæ more ac instituto maiorũ ad obtinendum legitimum imperium erant necessaria. Quod auté dixi, si ius quidem quæratur Appio necessariam fuisse legem curiatam, verba Ciceronis quæ cótinuò sequuntur, significant [Ego quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: varias esse opiniones intelligo. Sút qui putant posse te non decedere, quòd sine lege curiata tibi succedatur. Sunt etiam qui si decedas, à te relinqui posse, qui pro-

uinciæ præsit. Mihi non tam de iure certum est (quanquam ne id quidem valde dubium est) quàm illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, libertatem, (qua te scio libentissimè frui solere) pertinere, te sine vlla mora prouinciam successori concedere] nónne id non dubii iuris fuisse Cicero significat, quia sine lege curiata Lentulo succedere volebat Appius, potuisse Lentulum imperium retinere, ac successorem non admittere? Attamen vt de iure suo potiùs decedat consulit Lentulo Cicero. Extra ordinem ergo & præter leges imperium obtinebant qui sine lege curiata in prouincias proficiscebantur, vt planè superiora illa cum his postremis collata conuincunt. Quare cùm vel à populo, vel à senatu datum priuato alicui imperium legimus, quia nihil aliud intelligere possumus quàm ex priuato factum esse aliquem aut procos. aut propræt. id verò erat aut consulare aut prætorium ei imperium dare: hoc porrò imperium vt legitimum esset accessione legis curiatæ opus habuit: necesse est vt fateamur eos omnes qui priuatim prouincias cum imperio mittebantur, lege curiata ornari opor-

tuisse. Nam si iis qui in magistratu essent lege tamen curiata opus fuit, multò profectò magis iis opus fuit qui priuati erant: postquam certè iustis quibusdam comitiis magistratum acceperant: præsertim post legem à C.Cornelio tribunopl. perlatam, vt pluribus docui lib. sec. de comitiis. Cùm enim iis qui cũ imperio mittebãtur in prouincias quas prætorias senatus nominauerat, lex curiata ferebatur, nunquid probabilius est vnam simul omnibus latam fuisse, quàm vel seorsum de vnoquoque, vel de quibusdam latã fuisse, de aliis minimè? Atqui sæpe vsuueniebat, vt in hoc numero essent multi qui non erant ex prętorum illius anni collegio, sed vel ex proximo vel ex aliquo etiam superiore prætorum collegio: qui quidem tum priuati erãt. Quam ergo probabilem caussam adferre poterit Sigonius cur illius anni prætoribus qui in prouincias ire vellent ferretur lex curiata, aliis prætoriis qui simul cum iis in prouincias ac pari imperio mittebãtur, non ferretur? Quod idem in iis etiam quæri potest, qui in eas quas senatus cõsulares decreuerat, mittebãtur. At proprætores & proconsules (inquit

Sigonius) nec magistratus erāt, nec auspicia habebant. Illud falsum, hoc verum. Nam si magistratus non fuerunt, impropriè, ne dicam ineptè, locutus est Cicero, qui toties hoc eos nomine appellat, cùm aliàs, tum verò sæpe in orationibus: vbi cóqueritur à nostris magistratibus, diripi prouincias, à magistratibus socios vexari. Vt omittam planè id absurdum videri, non esse eum magistratum, qui fasces, qui summum imperium ac potestatem habere passim apud latinos auctores, legatur. Et quæstores scilicet qui extra vrbē prouincias obtinebant, magistratus fuerunt: prætores prouinciarū non fuerunt. Quod verò negat auspicia habuisse procoss. & proprætt. id facit auctore Cicerone libro secundo de Diuinatione: neque tamen in eo mihi satis causæ esse videtur, vt lege curiata eos ornatos fuisse negādum sit. Quibus enim consulibus prouinciæ dabantur ætate Ciceronis, eas ferè non administrabant, nisi peracto anno sui consulatus: vnde apparet proconsules illos suas prouincias gessisse. Ad imperium tamē illud prouinciale transmittendum lege curiata iis opus fuisse demonstraui. Quanquam

ergo illis prouincialibus imperiis gerēdis auſpicia non adhiberent, iis tamen obtinendis auſpicata lege curiata opus habebant. Quod ergo Procoſſ. auſpicia nó haberent, non poteſt ratio eſſe, cur lege curiata non ornarentur. Tametſi enim poſterioribus tēporibus neſcio quo antiquæ religionis contemptu neglecta ac planè omiſſa eſſent auſpicia bellica, quę in bellis gerendis maiores ſeruari voluerant: quin tamen auſpicato crearentur ij magiſtratus quibus militare imperiũ dabatur, id verò non dubito, eóque adducor tum illis quas antè adduxi rationibus, quæ hac vna concluſione comprehendi poſſunt: nullus magiſtratus imperium obtinere iure ac legibus potuit abſq; lege curiata omnes Procoſſ. & Propræt. magiſtratus & fuerunt, & ab Latinis auctoribus appellati ſunt. Nullus ergo horũ abſque lege curiata legitimum imperium obtinere potuit: tùm verò T. Liuij verbis ſtatim initio libri ſexti tertiæ decad. quæ ita habent [principio eius anni cũ de literis L. Martij referretur, res geſtæ magnificæ viſæ: titulus honóris, quòd imperio nó populi iuſſu, non ex auctoritate patrũ dato, propræ tor ſena

tui scripsisset, magnam partem hominum offendebat. Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solenne auspicatorũ comitiorum in castra & prouincias procul ab legibus magistratibúsq; ad militarem temeritatẽ transferri.] Verba enim illa [solenne auspicatorum comitiorum] non possunt de tributis comitiis intelligi, quibus tamen ferè tum temporis Proprætores & Procoss. fiebant, vt etiam fatetur Sigonius, neq; enim tributa comitia auspicata erãt. At ne id quidem potest de centuriatis intelligi, quę procósulibus & propræt. creandis vix vnquam leguntur habita, nisi in vno P. Scipione, cũ procos. in Hispaniam missus est, ídque nouo more & extra ordinem, vt etiam rectè Sigonius scribit. Restat igitur vt de curiatis comitiis intelligatur. Quare præter illa inauspicata plebis comitia quæ de proprætoribus à tribunispl. ferè semper tum habebantur alia etiam comitia auspicata, atque illa curiata, habita fuisse oportet, aut verum non est quod de Propræt. imperio loquens Liuius dicit [solenne auspicatorum comitiorum.] Sequitur nunc vt ostendamus non eos solùm magistratus

quibus militare imperium erat lege curiata ornatos fuisse, sed etiam alios magistratus, quiquidé populi ac nó plebis tantùm magistratus essent. Ac primú omnes qui magistratuũ minorũ nomine continẽtur, illis Messalæ verbis quæ à me citata sunt ex A. Gellij lib. xiij. cap. xiiij. lege curiata ornatos fuisse, verba illa aperte demonstrant [Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideò illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus, tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege. Maiores, centuriatis comitiis fiunt.] Nam si eorum auspiciorum quæ erãt penes patricios partem alteram habuerunt minores magistratus, necesse est vt illa auspicia à populo accepta haberent auspicatis quibusdam comitiis fuisse creatos. At tributa quibus creabãtur auspicata nó erant: non ergo iustum magistratum tributis accipiebant. Quia ergo minoribus magistratibus centuriata non adhibebantur, relinquitur vt curiata de iis haberẽtur. Illúdq; adeò est quod ait Messala iustius ijs dari magistratum curiata lege quàm tributis comitiis. Et quod innuit Cicero in secũda

Agraria, cũ scribit curiata comitia tãtùm auspiciorum causa remansisse. Ita enim omnino accipiendum est, vt significet illa quidem comitia quę olim de magistratibus triginta curiarũ suffragio habebantur, desiisse fieri, eorum tamẽ speciem atq; imaginem retentam esse propter auspicia. Ex quibus perspicuum est omnibus quæstoribus, omnibus ædilibus curulibus, omnibus tribunis militaribus, ac reliquis minoribus magistratibus, iis exceptis qui plebis tantùm non populi erant magistratus, lege curiata opus fuisse. Et quoniam non modò Messala, sed etiam Cicero hoc loquendi genere vtitur, vt lege curiata magistratum dari dicat, falsa sunt illa Sigonij pronunciata. Aliis comitiis magistratum, aliis imperiũ dari lege curiata imperium non magistratum accipi. Quin potiùs cõtra qui tributis comitiis creabantur iusti⁹ curiata lege magistratũ accipiebant, quàm tributis comitiis. Cicero certè pro iisdem accipit has omnes dicendi formas decemuiros lege curiata ornari, decemuiris lege curiata magistratum dari, decemuiris legẽ curiatam ferri, decẽuiros lege curiata potestatem habere. Quod verò in decemui-

ris Cicero dicit, cur nō posit ad alios magistratus trāsferri nulla causa est. Triumuiros ergo, Quinqueuiros, aut quotquot creari placebat, siue ad agros diuidendos, siue ad colonias deducēdas, cùm dicemus lege curiata ornatos fuisse, hoc dicemus, quam habebant potestatem, atque adeò suum magistratum lege curiata quæ ad comitia tributa accedebat, accepisse. Neq; enim verisimile est quod dicit Sigonius, lege curiata huiusmodi magistratus imperium, hoc est, vt ipse interpretatur, belli gerendi facultatem accepisse. Nam qui non coloniæ deducendæ, sed agro tantùm publico diuidendo creati erant, ex vrbana plebe maximè, iisque adeò ciuibus qui erant ex sexta classe omni onere militiæ immuni, eos desumebant quibus agros asignabant. Et qui in colonias nomina dabāt, tametsi ex iis magna ex parte essent qui sub iis ducibus meruerant quorum opera in populi Ro. potestatem ea oppida venerant, in quæ coloniæ deducebantur, omnes tamen in pacata iam oppida, nō ad bellum gerendum se proficisci credebāt. Quis verò vnquam hanc nominis dationem in coloniam, aut in agrum, delectum

militarem

militarem appellauit? Quis ductores colo niarum (de iis non loquor quæ postremis temporibus coloniæ militares dictæ sunt) imperatores vocauit? Quod ergo imperiū militare intelligi potest vbi nullus hostis, nullum bellum decretū, nullus delectus, nullus imperator cernitur? At sub vexillo, inquit, deducebātur. Id quidē verū est. Attamē in eo ego vmbrā tantū ac speciē imperii militaris agnosco, verū imperiū non agnosco. Atq; vt meā tādē opinionē proferam de imperio magistratuū, omnes ego magistratus potestatē habuisse existimo, quæ tā latè pateret, quàm ius sui magistratus: hoc est reipublicæ procuratio quaten⁹ ei publicè demandata erat. Verū in ea potestate alij imperium habebant, alij non habebant. Imperium habuisse dicuntur omnes qui pro suo magistratu, hoc est, qua patebat sui magistratus potestas, ius habebant imperandi, vsqueadeò vt parēdi necessitatem imponerent. Idque ius imperandi in quibusdam magistratibus tam in rebus bellicis quàm in rebus vrbanis valebat: vt in consulibus, quibus domi bellíq; summum imperium erat. Et quoniā prætores collegæ erant consulum, illorum e-

deni in quatuor legiones à populo crearẽtur.]Hîc verò libẽs obiter rogarem Sigonium,quomodo in his tribunis militum (quorum erat huiusmodi magistratus,vt totus consisteret in rei militaris administratione)magistratum ab imperio distinguet,& quomodo vnis comitiis magistratum aliis comitiis imperium dabit? Vt ergo multa essent ac diuersa munera publica,in quibus magistratuum imperium cerneretur,verbi tamen significatio vna semper erat vt imperiũ significaret maiorem illam reip. gerendæ potestatem in qua inesset coercendi cogendíque facultas,quæ parendi necessitatem imponeret. Quod si in omnibus qui in prouincias mittebãtur pariter & eodem modo verum fuit eos fuisse cum imperio,ita vt illud cum imperio esse vna verbi significatione in omnibus illis acciperetur,verum profectò non est illud cum imperio esse,significare exercitui præesse, cuius quis imperator esset permultos enim legimus prouincias consulares aut prætorias obtinuisse cum imperio,quibus tamen nullus exercitus cui præessent decretus erat.Cur enim in pacatas prouincias,& in quibus nulla esset bel-

li suspicio, mitteretur exercitus? At in pacatas prouincias quàm multi prętores missi leguntur. Quinetiam cósulares prouinciæ interdum tales decernebantur, in quibus exercitu nullo modo opus esset Suetonius in Cæsare ita scribit [Eandem ob causam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris consulibus minimi negotij, id est syluæ calléſque decernerentur.] His opinor administrandis ignobilibus prouinciis, quæ syluarum publicarum & saltuú publicorum in quibus pascerentur pecora, vnde scripturę vectigal conficiebatur, procurationem continebant, legionibus opus non fuit. Ex quibus efficitur si illi modò imperium habuisse, aut cum imperio fuisse dicantur qui exercitum habuerunt quibus præessent, quemadmodum videtur velle Sigonius, permultos fuisse cósules ac prætores qui in prouincias mittebantur, quos non fuit verum dicere cum imperio fuisse. Illud quidem certè verum fuit, potestaté eos habuisse exercitus comparádi si quid accidisset in sua prouincia, cur exercitu opus esse videretur: at verum nó fuit omnes exercitui præfuisse. Potius ergo illud cum imperio esse significabat

talem magiſtratum obtinere, in cuius poteſtate ineſſet belli gerẽdi facultas, tametſi nunquam bellum attingeret, quàm vt ſignificet cuiuſdam exercitus imperatorem eſſe. Iam verò cum legimus magiſtratibus prorogatum fuiſſe imperium, ſi in eadem ſignificatione verbum imperij accipiatur in omnibus magiſtratibus, ita neceſſe eſt vim illius verbi interpretari, vt omnibus illis accõmodari poſsit. At ſi ita interpreteris vt tantùm ſignificet: poteſtatem ducendi exercitus cui quis præerat ei prorogatam eſſe, non omnibus accommodabitur: quandoquidem multi exercitum nullum habuerunt, quibus prorogatum fuiſſe imperium legitur. Non ergo hoc ſignificat imperium, quod dicit Sigonius. Et ſanè cum prorogatum imperium legimus, aliud nihil intelligere poſſumus quàm magiſtratui continuatam eſſe eam quam habebat iure ſui magiſtratus poteſtatem, ſiue iuriſdictionem, ſiue rem bellicam ſpectes. Ac ſi proprætoris poteſtas nõ modò cernitur in rei militaris adminiſtratione, ſed etiam in iuriſdictione, & omni reliqua reipub. adminiſtratione, quoad fines ſuæ prouinciæ paterent: illud autem

certum ſit ex quinta Philippica cùm decretum eſt Cæſari Octauiano imperium à ſenatu, proprætoris poteſtatem ei datam eſſe : ſic enim ſcribitur[Demus igitur imperium Cęſari, ſine quo res militaris admi niſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt: & vt ſit proprætor eo iure quo qui optimo] Datum ergo Cæſari imperium, non ſignificat idem quod belli gerendi poteſtatem ei datam eſſe, ſed reipubl. Capeſſendæ, ac muneris publici auctoritate publica gerendi datam ei poteſtatẽ : cuius pars eſſet rei bellicæ adminiſtratio, non tota ipſa poteſtas omninóque illud [Demus imperium Cæſari] aliud nihil ſignificat, quàm ex priuato faciamus eum magiſtratum, atque adeò proprętorem, cuius magi ſtratus iure prætorium imperium habeat, tam in iure dicendo, quàm in bello gerendo. Nam ſi ita interpreteris vt vult Sigonius, inepta repetitione vtetur Cicero, cùm dicit: demus Cæſari poteſtatem belli admi niſtrãdi, ſine qua bellum adminiſtrari nõ poteſt. Verùm omiſſa hac de ſignificatione verbi imperij diſputatione, vt ad legẽ curiatam redeam, ego ſic rurſus communem rationem concludam. Omni magi-

ſtratui cui pro iure ſui magiſtratus licuit rem militarem attingere, opus fuit lege curiata. Atqui omni dictatori, omni consuli aut conſularem poteſtatem habẽti, omníque prætori aut prætoriam poteſtatem habenti, licuit pro iure ſui magiſtratus rem militarem attingere. Omni ergo dictatori, omni conſuli aut conſularem poteſtatem habenti, omni denique prætori aut prætoriam poteſtatem habenti, opus fuit lege curiata. Nam omnium dictatorum par fuit atque eadem poteſtas. Itémque cõſulum, tametſi diuerſæ eſſent prouinciæ, nunquã fuit poteſtas diſpar, aut vnius cõſulis maiꝰ imperium quàm alterius: quod item verũ eſt in prætoribus. Si ergo horum quibuſdam licuit pro iure ſui magiſtratus rem militarẽ attingere, omnibus licuit. Quod ſi poteſtatem habere adminiſtrandi rem bellicam, tametſi nunquam bellum attingas, ſatis cauſæ habet vt imperium quis obtinuiſſe dicatur: illa verò poteſtas non aduentitia fuit, ſed in ipſo magiſtratu inſita: certè in ipſo magiſtratu tale imperiũ inerat, quale vult lege curiata datum fuiſſe Sigonius. Ex hiſtoriæ Liuianę lectione perſpicuum eſt multos dictatores fuiſſe, qui

tus esset imperium haberet militare, id verò negari non potest. Sumamus exempli causa L. Quintum Cincinnatum dictatorem, & C. Seruilium Ahalam magistrum equitum qui ad opprimendum Sp. Meliũ regnum affectantem creati sunt. Quòd ergo illi præsidia vndique in vrbe disposuisse legũtur, nónne pro imperio illo militari quod habebant, id fecisse dicendi sunt? Id verò imperium militare qua lege nisi curiata obtinuerunt? Non igitur verũ est quod scribit Sigonius, imperium quod lege curiata obtinebatur, non nisi extra vrbem obtentum fuisse. Ac si quod lege curiata obtinebat imperium dictator, ad id imperium pertinuit quod tam in vrbe, quàm extra vrbem habebat: id verò imperium erat illud ipsum imperium quod in ipso magistratu dictatoris insitum erat, idque adeò quòd cum ipso magistratu obtinebatur: necesse profectò est cùm legimus de dictatoris imperio legem curiatam latam fuisse, de vniuerso dictatoris imperio, quod iure sui magistratus habebat, intelligi, ac non de illa tantùm exercitus ducendi potestate aduentitia, quam solam imperij nomine

intelligit Sigonius. Quod idem certè dicendum est in aliis omnibus magistratibus, de quorum imperio legimus latam fuisse legem curiatam. Id verò apertissimè doceri potest ex formula legis curiatę, qua ornari volebat suos decemuiros Rullus: quam scribit Cicero huiusmodi fuisse. [Eam legem ab eo prætore qui sit primus factus, ferri iubet? At quomodò? Vt ij decemuiratum habeant, quos plebs designauerit] primùm enim ex iis verbis intelligimus legem curiatam ferre de imperio decemuirorum aliud nihil fuisse, quàm de ipso decemuiratu legem ferre: ita vt ornari decemuiros lege curiata idẽ esset, quod de ipso decemuirorum magistratu legem curiatam ferre. Deinde verò, si (vt licet) hanc formulam legis curiatæ velimus ad alios magistratus trãsferre, hoc planè verum esse comperiemus, legẽ curiatam de imperio magistratuum ferre, idẽ valuisse quod de ipsis magistratibus imperium habentibus, legem curiatam ferre: vt scilicet ij magistratum haberent quos populus designasset. Atque vt ego tãdem hanc de lege curiata disputationem cõcludam, postrema ratio quæ Sigoniũ maximè vr-


gebit, hæc erit. Quibus magiſtratibus exercitum imperare licuit, eis lege curiata, auctore etiam Sigonio, opus fuit. Atqui omnibus dictatoribus, omnibus conſulibus, ac omnibus prætoribus iis etiam qui in vrbe tantum imperium obtinuerunt, exercitum imperare licuit. Cùm enim cẽturiata comitia haberi non poſſent, niſi imperato exercitu, quemadmodum in lib. de comitiis ego docui ex A. Gellii lib. xv. cap. xxvij. & ex T. Liuij lib. ix. Decad. iiij. omnes profectò magiſtratus quibus centuriata comitia habere licuit, imperandi exercitus ius habuerunt. At illis omnibus quos modò nominaui, centuriata comitia habere licuit. Illis ergo omnibus lege curiata opus fuiſſe ad obtinendum etiam vrbanum imperium, neceſſariò fatendum eſt. Atque illa quidem ratio id planè confirmat quod à me ſcriptum eſt lib. tertio de comitiis, legem illam curiatam quam legimus latam magiſtratibus in prouincias profecturis, poſtquam ſui magiſtratus annum in vrbe peregerant, aliam fuiſſe videri ab illa ordinaria lege curiata quę ſingulorũ annorum magiſtratibus ferebatur: illámque legem ad tranſmittẽdum

potiùs imperium fuiſſe, quàm ad obtinendum: quod tamen Sigonius non probat. Et quoniam vt in omnibus magiſtratibus qui vniuerſi populi eſſent, id verum eſſe quod dixi de lege curiata, perfecta inductione demonſtratum ſit; ſoli reſtant cenſores, in quibus ſeparatim nó docui, curiata lege eos ornatos fuiſſe: pauca de illis quæ mihi probabilia videntur, ſubiiciam. Cenſoribus ius fuit luſtri condendi, id verò teſte Liuio lib. pr. quin ediceretur exercitus, ipſeque exercitus inſtructus luſtraretur, non potuit fieri. At illud imperium quod in imperando luſtrandóque exercitu erat, militare quoddam imperium erat. Cenſoribus ergo ad illud militare imperium obtinendum (vel Sigonio auctore) lege curiata opus fuit. Nā ſi imaginarium illud imperium colonos ſub vexillo tanquam exercitum deducendi ſatis cauſæ habuit cur lege curiata coloniarum ductoribus opus fuerit, quemadmodum Sigonius putat, multo profecto magis aut non minus certè cenſorum illud imperium, edicendi ex omni populo exercitus, eiúſq; luſtrandi, legem curiatam requiſiuiſſe dicendum eſt. Quæ ſi vera ſunt, perfecta in-

ductione à nobis conclusum erit in omnibus magistratibus, tam maioribus quàm minoribus legem curiatam ferri solitam. Vnde efficietur non modò vera esse quæ non probantur à Sigonio in secunda reprehensione, sed etiam verissima esse illa, quæ de binis comitiis à me ad primam eius reprehensionem dicta sunt.

EXCVSSVM PARISIIS,
anno ab incarnatione Domini,
M. D. L X V.




ROMA



